TRANSLATIO CORPORIS SANCTISS. PATRIS ROMUALDI SACRAE EREMI, ORDINISQUE CAMALDULENSIS...

Agostino Fortunio

Digitized by Google

1. Translatio Corp
Florentiæ
2. Discorsi tre
delle Città
tro di Claudio
tero. Roma
3. Marias Josef
1773.
4. Karg Gio: Fed
Canoniche e
Roma 1626.
5. Lettres de M.
Memoires de
tes de Rome
za data di
6. Valeno. Oratio
i Giovani al
arti studio
1548.

37
cartella
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

un ora

Misc Val
1.560

TRANSLATIO
CORPORIS SANCTISS.
PATRIS ROMVALDI
SACRAE EREMI,
Ordiniſque Camaldulenſis

Inſtitutoris.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



FLORENTIAE,
APVD IVNTAS,
MDLXII.

EXASTICON.

*I*AM *quater antiqui centis & pluribus annis*
Sub Tumuli ſanctum marmore Corpus erat:
Mox patuit nulla corruptum parte recensq́;
Patratæ vitæ inſignia certa ferens.
Attritum infando poſt continet Aeſia furto,
Prodigijs ortis redditur vnde FABRIS.

REVERENDISS. ATQ. AMpliſs. Patribus Præſidi Generali, & Diffinitoribus Capituli ſacre Camaldulenſis Cōgreg. F. Auguſt. Flor. Monachus profeſſus monaſterii Angel. Flor. felicitatem ſempiternam dicit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVàm neceſſaria fuerit (Ampliſſimi Patres) Sanctorum cultus in ſacroſancta Eccleſia inſtitutio, nec non eorundē Reliquiarum veneratio, præter cætera manifeſtum eſt; Quia nimirum eorum patrocinio, atque ſuffragijs ad Dei optimi maximi gratiam conciliandam: impetrandamq; ſcelerum indulgentiam vſ-

que adeò indigemus: Ut aliter(ſicut ait diuus Auguſtinus) ſalui eſſe non poſſimus. Quòd ſi ad ineundam Regum gratiam eorum ſtudia, atque fauores totis viribus captare ſatagimus, qui quidem ipſis Regibus magis grati ſunt, vt his mediantibus voti cōpotes efficiamur. Quanto magis in Sanctorum obſequijs ſtudioſiores eſſe debemus, quorum preces ſunt gratiores Deo, quàm noſtræ? Quos cum veneramur, eorumq́ ſuffragia pio religionis ac deuotionis affectu imploramus: Omnis, qui eis impenditur honos in Dei gloriam redundat? Deum in ſanctis ſuis collaudamus? Quorum corpora, atque Reliquias cum honoramus (quæ, vt atteſtatur idem Auguſtinus, perinde ac Chriſti membra honoranda ſunt) eum, cuius ſunt Sancti, amici, atque domeſtici, prorſus adoramus? Veruntamen eorum meritis & interceſſionibus non ſolum tempo-

ralia

ralia commoda, ſed perpetuæ ſolutis portum ad confirmationem fidei noſtræ iam iam magis ſecuri ſperare, atque attingere poſſumus? Porrò quot digni ſunt laudibus quicunque ipſorum Sanctorum geſta (quibus ipſos viæ Domini, & ad inſequendum Chriſti veſtigia Magiſtros imitari debemus) laudes, & Encomia uario ſcriptionum, atque Hiſtoriæ genere complecti, ac poſteris mandare ſtuduerunt. Tot his quoque tribui omnino debent, qui quidem audacter ante ora Tyrannorum, vel quocunque alio modo Sanctorum Corpora, atq; Reliquias veluti prætioſiſſimos theſauros colligentes piè, atque religioſè tumulare ſategerunt. Quamuis enim adeò ſublimis fuerit ipſorum Sanctorum virtus, tantæq; gloriæ participes effecti ſint, vt nullus par honos, aut reuerentia, vel laus æqua tantæ virtuti, tot meritis, tantæq; gloriæ tribui poſſint. Attamen

vnumquemq; ſatis officio veræ Chriſtianæ pietatis facere indubitatum eſt, ſi pro viribus huiuſmodi pijs ſacris obſequijs, piè atque religioſè incumbentes, Deum in Sãctis ſuis laudare, & benedicere nunquam ceſſemus. Quanta igitur ſummæ pietatis, ac veræ Religionis chriſtianæ officia exercuerint olim Fabrianenſes Incolæ, nec nõ Abbas Cœnobij Vallis Caſtri Corporis ſanctiſsimi Patris noſtri Romualdi ablati ab Aeſinatibus recuperandi gratia, multi ſanè tum ex ipſo noui erecti monumenti ornatu, tum antiquioribus referentibus nonnihil perceperunt. Cæterum quia geſtorum, & accidentium varietas, atque etiam ſumma Translationis factæ à varijs maiorum monimentis præcipue dependet, quorum facultas non ſine difficultate, & longi temporis abſumptione haberi poterat: Minora profectò, quàm reuera fuerunt, hucuſque in lucem prodiere

diere. Ea propter cum liberalitate, & gratia R.P. Antonij de Piſis noſtri ordinis Generalis factum ſit, ut ego ipſius rei ſeriem ac veritatem nuper maximo ſtudio, ac diligentia indagauerim, & cõperta fideliter vniuerſæ rei ſumma, Translationem ipſam hoc breuis compẽdij opuſculo digeſſerim. Operæ prætium me omnino facturum eſſe duxi, Si illud vobis (Ampliſſimi patres) qui quidem merito, atque optimo iuræ vniuerſæ noſtræ Congregationis ſupremi Magiſtratus poteſtatem agitis, humiliter dicarem, atque legendum proponerem. Ut ſi vobis viſum fuerit (ut ſpero) eam approbare, cognita, & diſcuſſa tantæ Translationis dignitate, quid, & quantum res ipſa poſtulat, ſaltem eius memoriæ ſingulis annis piè recolendi gratia ſtatuere, & decernere valeatis. Equidem id nũquam teſtari deſiſtam me omnia, quæ circa ipſam Translatio-

nem verſantur tanto ſtudio ac diligentia, tum ex ueterum monimentis,tum ex publicis libris , tum ab integerrimis viris : tum iis teſtibus demum præſentibus collegiſſe , ut ea prorſus omni veritate niti vſque adeò affirmare poſsim : Quemadmodum ſi in hoc actu publici Tabellionis munus(quod ſecularis gerebam)egiſſe mihi permiſſum fuerit . Quinetiam res ipſa apud me eiuſmodi eſt, in qua ego nil magis certum requirere, aut deſiderare poſſim . Nihilominus quomodocunque vobis eam magis cenſere libuerit , ſat mihi ſit, uos animi mei pietatem,& in uos incredibilem obſeruantiam nonnihil perſpexiſſe. Malui in eiuſcemodi explicatione demisſo,atque humili ſtilo,& phraſi uti : Nec non omni poſt habita affectationis fucatione rei ſeriem ſimpliciter perſtringere : Quandoquidem aliorum Sanctorum hiſtorijs adhærere volui . Quarum ſanè ple

raque

ræque quàm ſimplici verborum, & ornatus ſtructura complexæ ſint nullus eſt qui neſciat. Proptereaquòd ſimpliciter factum in Sanctorum hiſtoriys recenſere debemus.

Accipite ergo (Ampliſſimi patres) hilari frōte deditiſſimi filij veſtri hoſce mediocres fructus, atque labores, & illos pro veſtro arbitrio æqui, boniq; conſulite. Bene ualete. Rauennæ quarto Calen. Maii A. D. M. D. L X I.

PRAEFATIO.

QVID valeat diuturnitas, atque iniquitas temporis uel ex hoc ſatis conijci, comprehendique poteſt; Quia nimirum uel admirabilis quoque theſauri obliuionem quàm ſæpiſſime cauſare conſueuit, Ni hominum memoria, ætas, & monimẽta eam præuenire nitantur. Nil igitur mirum; Vt quãuis Sanctiſsimi Romualdi ſacroſancti Corporis Trãslatio, quæ quidem anno MCCCCLXXXI. facta fuit eiuſmodi ſit, ĩ qua multa profectò cũ diuinitus apprimè mirabilia: tum à Municipibus Fabrianenſibus, & vallis Caſtri Monacis memoratu digna facta fuiſſe cõpertum ſit; Iniuria tamen temporum hucuſque occulta: vel modo in lucem minime prodire poſſet, niſi veterum monimentis in præſentiarum uti liceret. Quod tanto magis quidem certè iamdiu fieri debuit: Quanto aliorum Sanctorum Tranſlationes celebri cultu in cæteris eccleſiis piè ãnuatim celebrari nullus eſt qui neſciat. Neminem igitur admiratione affectum iri exiſtimo: Si ego, quæ maximis laboribus, ac ſtudiis in hanc rem olim peracta fuiſſe perſcrutatus ſum collecta paruo hoc opuſculo breuibus complecti animum induxi meum. Quippe qui non veluti omnium au-

daciſsi-

dacißimus, aut quòd aliquid, pluſquam fas eſt, mihi tribuam hoc meis humeris impar onus ſuſce pi. Sed quia cum in eiuſcemodi diſcußione, eos qui rerum ſic geſtarum præter ea, quæ in Libris publicis continentur memoriam habent, iam ſænio confectos in dies deficere præuiderim. Operæ pretium me omnino facturum eſſe duxi, ſi quæ veritate fulgere inueni, palam omnibus facere nō dubitarem. Quod eò magis mihi vires addit, quo niam noui eos, qui nobis præſunt, Vigilemque Nauclerum ea quæ Dei, & veræ Religionis ac pietatis ſunt ita curare in dies, Vt verè hac tempeſtate Congregatio noſtra Camaldulenſis, unà cum omnibus membris, quæ ſuo mixto continen tur corpore, ſic veræ regularis obſeruantiæ ſplen deat nitore: Sic omnium communi ſtudio, ac diligentia omnibus ſanctimoniæ laudabilibus ſtudiis augeſcat in dies, vt cæteri eam ſatis admirari non deſinant. Quid enim magis requiritur in rectè inſtituta Republica, quàm ne populi per incentiua vitiorum laxis propriæ voluntatis vtan tur habenis? Sed Religio paßim colatur? Iuſtitia adminiſtretur? leges executioni demandentur? omnesque vnanimes communem Reipublicæ dignitatem tueri, & amplificare ſedulò ſtudeant? Iam verò, ut quilibet rationem ſtudij mei cogno ſcere poßit. Equidem ipſius translationis indagandæ deſiderio in hunc modum captus ſui. Et

enim

enim cum primum anno 1559. *ſcriba Reuerendiſſ.p.Ant.de Piſis noſtri Ordinis Generalis prodiens, in Calendario Sacræ Camaldulenſis Eremi notam ſolemnitatis plenæ in honorem translationis Brachij ipſius Sanctiſſimi Patris Romualdi (quod ibi ſumma cum veneratione retineri intuitus eodem tempore fueram) ſingulis annis celebrandæ additam præuidiſſem. Mox verò viſitationis gratia, quæ de Monaſteriis Agri Fabrianẽſis de more annuo fieri debuit, ex Flamminia ad Monaſterium Vallis Caſtri deueniſſemus; Vbi ſepulcrum vacuum Sanctiſſimi Patris veneratus, ſacroſanctas Reliquias iamdiu inde remotas Fabrianum translatas fuiſſe intellexi, Satis profectò mirari primum cæpi: Cur in vniuerſa noſtra Congregatione tantæ translationis memoria minime recoleretur. Deinde incredibili quoque affectus fui deſiderio, ut ſeriem ipſius factæ Translationis cognoſcerem. Quare cum paulo poſt liberalitate, & gratia ipſius R.P. in Monaſterio ſancti Blaſii Fabriani per vniuerſos feræ ſacræ Quadrageſimæ dies in ocio commorari mihi datum eſſet: Idque maximum mihi negocium faceſſeret, quod animo reſidebat, Tandem ex libris Archiuij publici Anni Domini* 1480. & 1481. *de omnibus me certiorem fieri datum eſt quæ à populo ac Senatu Oppidi Fabriani in hanc rem olim liberaliter acta, geſta, ac ſancita fuiſſe*

pro rei

pro rei ipſius dignitate colligere potui. Reliqua autem, quæ hec ipſa concomitantur, antecedunt, ac ſubſequuntur ab iis fide dignis, ſummaque pietate præditis viris me elicere licuit: Quiquidem tum propter longeuam ætatem aliquo modo meminiſſe potuerunt: Tum verò maiorum ſuorum, qui interfuerunt, monimentis, ac teſtimonio ſic luce clarius id verum eſſe probauerunt, Vt illis omni moda penitus, atque indubitata fides præſtari poſſit, & debeat. Quis enim vel ex Noſtris Fabrianum hac noſtra ætate incoluit, qui quidem hos infraſcriptos viros minus de facie, uel de nomine nouerit? Videlicet venerabilem præsbyterum Hieronymum Clauellinum nonageſimum quintum annum agentem, paucis ab hinc menſibus, poſtea quam non pauca in hanc rem mihi inſinuauerat, defunctum, ætate longeua decrepitum, & oculorum luce orbatum? Spectabiles ciues Ioannem Franciſcum Olybanum, Sylueſtrumque de conſulibus nonagenario maiores? Nec non in Oppido Maſſacij Hieronymum Petri centenarium annum natum: Qui ſanè paulopoſt quàm hæc acta fuerunt Reuerendiſsimi Domini Thomæ de Ghiſyleriis per id temporis Epiſcopi Aeſinatis cubicularius admiſſus eſt? Omitto teſtimonium R.P. Auguſtini Torelli præpoſiti Abbatis eccleſiæ ſancti Laurentij de Maſſacio, qui elapſis Menſibus, & ipſe quoque defunctus eſt, Porrò qui ipſius facti ordi-

ςti ordinem ſigillatim a R. P. Romualdo eius quō dam Patruo, & prædeceſſore, (qui aliqualis pars eorundem fuit) quàm ſæpiſsime audiuiſſe publicè profeſſus, atteſtatusque eſt. (quorum omnium te ſtis quoque eſt Ven. p. Io. maria Contius Præfeςtus Eccleſiæ Sanςti Angeli extra Maſſacium) Vnà cum aliorum (quos longum eſſet recenſere) relatu, qui me per reςtam huius rei ſemitam incedere faciunt. Qui propemodum omnes de omnibus incunςtanter mihi fidem fecerunt, meminerunt, & ab his, qui verè, interfuerunt percepere. Age verò quòd hæc remotis arbitris hi mihi minime recenſuerint, teſtari poſſunt, cum R. P. Bartholomæus de Balneo Caballi qui quidem tunc tēporis diςti Monaſterij Vallis Caſtri Abbatem agebat, tum verò pleriq; eius præterea Monachi Quorum Conſtantius Gilius de Fab. Patritiusque Pollicinius inter cæteros omnibus ferè in rebus mihi aſsiſtebant. Proinde cum tot tantaque circa ipſam conſecutam Tranſlationem faςta, innouataque re uera fuerint apprimè mirabilia, veritateq; præfulgentia. Quæ gratis accepi, gratis, iuxta diuinum præceptum, palàm aperienda eſſe duxi, quo mirabilis quàm ſit Deus in Sanςtis ſuis ex hoc etiam magis innoteſcat. Congregatio verò noſtra tanti ſyderis irradiata fulgore veſtigia ſui Auςtoris, aliorumq; Sanςtorum magis ac magis inſeςtari ſedula ſtudeat.

Poſtremò illud etiam ſilentio hic minime præ-tereundum putaui. Quòd ſcilicet cum in exqui-rendis præmiſſis plurimum quoque laborauerim ut certior fierem, Nũquid beatiſſ. P. Romualdus ab vniuerſa Eccleſia catholica inter cæteros San-ctos aſcitus, receptusq́ue ſit, Factum eſt, ut ego id à Ven. P. Vrbano de Brixia Sanctorum qua-tuor Abbate, Generaliq́ue in Vrbe Romæ vni-uerſæ noſtræ Cõgregationis Procuratore ſcire per literas contenderim. Qui planè cum ſatis piè, ac liberaliter poſt varios huius rei perpeſſos labores diſertum, ſummaq́ue pietate præditum virum Gu-lielmum Sirletum Prothonotarium Apoſtoli-cum demum cõſuluiſſet, Qui quidem in Aula, et Curia Summi Põtificis præter cæteros magis pra-cticus exiſtit; Cuique Sanctorum Cathalogus, cæteraq́ue id genus ſedis Apoſtolicæ Monimenta præcipuæ curæ ſunt; Id quidem certè veriſſimum eſſe illum ſibi obnixè teſtificatum mihi per ſuas li teras tertio Idus Ianuarij proxime præteriti uul-gari ſermone exharatas ſignificauit. Aſſerens id Sanctiſſ. P. noſtro meritò accidiſſe inſtar Sancto rum Apoſtolorum, Pauli, Stephani, & aliorum, quorum ſanctitas pietasq́ue mirabilis adeò mani feſta, & vniuerſalis fuit, & eſt vniuerſo Orbi, ut non indiguerit aliqua probatione. Vtpote qui ad huc miraculis claret: & magis de eius vniuerſa li certitudine ſanctitatis conſtat ex eius hiſtoria

à tot,

à tot, tantisque celeberrimis notiſſimæ Sanctitatis Viris edita, quàm ignoret nemo. Quod non in omnibus tamen propterea ſemper ſuccedit: Quod eorum plerunque ſanctitas, & magnificentia minus paſſim ſit celebris, & vniuerſalis: Ipſaque Eccleſia catholica de eorum ſanctimonia, & mirabilibus geſtis minus ſit clara, minusque ſibi cōſtet. Quare oportet probari per teſtes Regionis, & confici Proceſſus in forma. Deinde verò ſubſequi ac fieri conſuetam in his Canonizationem. Sicuti compertum habemus factum eſſe circa canonizationem, S. Brigidæ, S. Ant. Archiepiſcopi Floren. nec non aliorum quos longum eſſet recenſere. Nunc verò cum ad celebrationem annui Capituli huc de more acceſſerit, Id prorſus verum eſſe, & eiſdem rationibus, & præfati Viri nouo quoque teſtimonio mihi, et cæteris omnibus atteſtari non deſinit: Cum ſcilicet ex Martyrologio Sāctorum Eccleſiæ Romanæ, In quo quidem certè, & de Sanctiſſ. Romualdo die 19. Iunij ſpecialis mentio habetur, Tum verò ex Cathalogo Sanctorum à Petro de Natalibus deſcripto in feſtis Sanctorum Menſis Iunij lib. v. vnde ipſe memoratus Prothonatarius vitam ipſius Sanctiſſ. P. Romualdi tranſcribi curauit, eamque eius propriæ manus ſubſcriptione, teſtimonioq; Martyrologij præmiſſo, nec nō alijs quibusdam inſignitam ipſi Venerabili Patri Procuratori Liberaliter ela-

gitus eſt. Quod monimentum unà cum antedictis eiusdem Patris literis apud nos cum originali noſtra hyſtoria ad perpetuam rei memoriam reſeruamus.

His itaque breuibus obiter dictis, ut ipſius Translationis ſeriem iam iam aggrediamur, rem paulò altius ab Aræ illius erectione, quæ (ut ĩ calce eius hyſtoriæ a Petro Damiani Cardinalis Oſtiẽſis deſcriptæ habetur) effoſſo primùm, atque iterum humato Cadauere ſuper eius Sepulcro facta fuit, Deo iuuante, repetamus.

FINIS PRÆFATIONIS

TRANSLATIO CORPORIS SANCTISS. PATRIS ROMVALDI CAMALDVLENSIS EREMI, ET ordinis inſtitutoris.

IGITVR quia Beatiſsimus Pater ROMVALDVS toto tempore vitæ ſuæ poſt ipſius conuerſionis primordia tanquam lilium candidum integritate vitæ floruit, nec non ſicuti thus ardens in igne veræ Chriſtianæ Religionis, feruentiſſimæq; charitatis exarſit incendio, ità vt omnibus Chriſtum dominum inſequi cupiẽtibus exemplar, ſpeculumq; fuerit currendi poſt ipſum in odorem vnguentorũ ſuorum. Ea propter veluti iuſtus probatus, conſtantiſsimus in templo Chriſti confeſſor admiſſus eſt. Quandoquidem ante debitum humanitatis exſolutum Deo in primis ſic gratus fuit, vt fecerit eum ſignis, ac miraculis corruſcare: Quæ vtiq; (vt in hiſtoria vitæ ſuę continetur) plura, atque innumerabilia ſunt, quàm quæ cogitatione complecti, ne dum voce, vel monimentis

exprimi valeant. Poſtquam verò anima eius ſanctiſsima carnis nexibus ſoluta cœleſtibus amicta eſt ſplendoribus in conſpectu maieſtatis gloriæ magni Dei. Tunc etiam non ſolum miraculorum eius gloria, ſanctitatisq; excelſæ ſama inclita longè lateq; magis diffuſa eſt, per ea, quæ in calce ipſius hiſtorię colliguntur, ita ut inſtar Sãctorum Apoſtolorum, nec non aliorum indubitatæ ſanctimonię Sanctorum ipſius celeberrimæ innocenter per actæ vitæ gratia fuerit ipſo iure abſque alicuius teſtium proceſſus exhibitione à ſacroſancta Eccleſia catholica inter ſtrenuos Chriſti confeſſores admiſſus, receptusq;: Sed etiam ex his quæ Deo poſtea nobis oſtendere placuit, quæ modo ipſo duce breui Compendio digeſta adduntur, magis, ac magis præterea patefacta eſt.

Compoſitis enim ſacroſanctis effoſsis Reliquijs in noua exciſa capſa iuxta notæ viſionis ſeriem: Ipſaq; in nouo lapideo Monumento intruſa in ipſomet Monaſterio Vallis Caſtri (quod ſui integerrimi corporis Reliquijs inter cætera, quę varijs in locis erexerat magis honorare placuit) Altariq; de licentia ſedis Apoſtolicæ poſito, atque ſacrato, omnes protinus, vtriuſque ſexus

Agri

Agri Fabriani, circumuicinorumq; loco-rum perſonę ad eas ibi venerãdas maximò deuotionis, ac pietatis ſtudio quotidie con fluere cæperunt. Adeoq; breui tẽpore de uotio fideliũ, qui ab omnibus potiſsimum Italiæ partibus illuc accedere viſi ſunt, ſub creſcere cępit, vt plurimi vota emiſſa varijs modis ſoluentes cũ diuerſis elemoſinis, ac muneribus eius Sepulchrũ ſedulò frequen tauerint. Ibi laudes, & gratiæ pro ſancti pa tris honore in ęterna memoria Deo deuo-tè reſonare. Ibi plurimorum hominũ atq; mulierũ omnis ętatis imagines Tũbã eius adornare. Quid plura? Quicũq; à Demo ne oppreſsi, vel alia detempti eſſent infir-mitate, Sepulcrũ eius cum contingerent, optatã continuò ſanitatem ſanctiſs. Patris meritis & interceſsionibus recuperabant. Deinde cum proceſſu temporis nonnulli aliquando dubitare cępiſſent inſtigatu De monis. Nunquid Sanctiſs. Patris Reliquiæ ibi reuera eſſent. An verò perperam fama inueterauiſſet, eas in notiſsimo Monumẽ-to iacere, factum eſt anno MCCCCLXVI. Vt quidam ipſius Cœnobij omnium auda ciſsimus Monachus, quo huius rei verè cer tior redderetur, Noctu ad monumentũ ip ſum, in quo Sanctiſs. Reliquiæ ſeruabãtur

clam impudenter acceſſerit.: Qui Cuneis Sepulchri primum vaſto ſuperiori lapide, Mox verò tegmine ligneæ capſæ aliquantulum per vim eleuatis, patefacta mediocriter Arca, introſpexit ſacroſanctum lõgæuum Corpus totum integrum, in nullaq; parte maculatum iacere, Tametſi quodam tenuis lanuginis mucore non nihil aſperſum videretur. Quare ilico inſperato timore perculſus, ſtupidus, atq; omnino attonitus effectus (quaſi neſciret vbi foret, aut quod facinus perpetraſſet) à Mauſoleo prius recedere nõ potuit, q̃ mane facto Monachus, qui ſacris præerat Eccleſiã ingreſſus eſt, vt pro re diuina celebranda neceſſarijs preparatis Monachos ad diuina officia dicenda euocaret. Hic ergo eò arrectis auribus, vbi quendam rumorem nõnihil obſtrepere perſentiebat, Infeſtum, ſontemq; cõfratrem tumulum per vim aperire tentaſſe diluculò perſpexit. Quare ſubitis clamoribus cœnobio repleto, violatum fuiſſe ſacroſanctum Monumentum, Adcurrunt ſtatim Abbas, Monachiq; cæteri; Qui comperta re haud minori ſanè admiratione sũt affecti de ipſius Monachi audacia, q̃ vetuſtiſsimum cadauer ita incorruptum aſpicere quod illud intuentibus adhuc quaſi potius

tius dormiens, q̃ mortuum videretur. Erat enim vultu adeò placidum, necnõ aſpectu & habitu ipſo ſanctitatis inſignia præſeferens; vt omnium intuentium in ſe mirabiliter prouocaret affectum. Abbas igitur rē hanc maximi momenti eſſe animo ſecum repetens, ac dignam, quæ omnibus propalaretur: Eam primatibus Fabrianenſibus, Camertenſiq; Epiſcopo protinus renuntiandam eſſe putauit. Qui vbi ad Baſilicam Vallis Caſtri ſe contulerunt, & quæ in inferiori Epiſtola (Cuius nos exemplum ex aliquibus Maiorum, & ipſius Monaſterij Vallis Caſtri monimentis de verbo ad verbum hic inſerere voluimus) continentur ſunt peracta, Idem Abbas vt tam mirandũ prodigium, quod illuxerat, alijs quoq; in locis notum fieret: Quę geſta fuerant hominibus Oppidi Serræ Quiriquinæ inter ceteros denuntiauit per has eius literas tenoris huiuſcemodi, videlicet.

Spectabilibus & honorabilibus viris Prioribus, & Cõmunitati Serræ S. Quirici mihi maioribus pręcipuis ſalutem. Decet per omnia meam paruitatem primùm aperire litteris meis quid mirandum nuper illuxerit obtutibus noſtris. Notum ſiquidem eſt cunctis tum de Prouincia Anconitana, tũ

de tota Italia Sanctiſsimum ROMVALDVM, qui fundauit primordia noſtræ Religionis in Monaſterio Vallis Caſtri per quadringentos XL. annos vel circa iacuiſſe inuiſum: & antea quàm Tumulum eius pateſieret nobis, omnes qui illuc confluxere à die ſepelitionis eius ſacroſanctum Corpus ſedulò veneratos fuiſſe.
Placuit nouiſsimè Sanctiſsimo Patri (licet per temerarium, & præſumptuoſum Sarcophagum illud fuerit apertum) ſe diebus iſtis palàm facere obtutibus noſtris; Vt quod diu latuerat, ad inſidorum fortaſſe confuſionem ſe viſibile faceret mortalibus oculis. Vidi proprijs oculis Sanctiſsimum Cadauer ſacco cilicino veſtitum vſque ad talos, deſuperque paruo habitu poſito. Accerſiui Primates Fabrianenſes, vt ad tale ſpectaculum viſendum properarent. Qui quidem omni mora poſtpoſita vnà cum Pręſule Camerinenſi atque Commiſſario Apoſtolico adiuncta maxima virorum multitudine ad Monumentum ipſum Vallis Caſtri protinus acceſſerunt. Stabant circa Sepulchrum vehementer attoniti, videntes Sanctiſsimum Virum ętate longæuum (nam centenarium, & vigeſimum annum tranſegit in

terris

terris), & diuturnitate quadringentorum quadraginta Annorum, vel circiter ibi iacentem maximam deuotionem præcipuamque venerationem præſeferentes. Quo viſo Præſul Camerinenſis aſſurgens è terra omnibus ad currentibus præter viſum à tactu prohibuit. Quiſque enim aſpicere, non tamen tangere ſacroſanctas Reliquias debet. Poſtquam prohibitionem ex ſua liberalitate quadragita dierum veniam aduenientibus indixit. Lætetur modo mater Eccleſia, quæ vna cum cæteris Sanctis Beatiſsimum aſciuit Romualdum. Gaudeat non ſolum Fabriana Tellus, verum quoque Prouincia omnis in cuius græmio noſcitur conſedere. Plaude, & tu Quiriquina Tellus, quę talem, ac tantum tua iuxta Confinia meruiſti ROMVALDVM habere Sanctiſsimum. Quem ſi tota animi deuotione, ac fide integra imitati fueritis pro certo ſciatis vobis ſemper adeſſe propitium. Timeant vehementer illi, qui vobiſcum incolunt, non verentes procaciſsimam eorum linguam aduerſus illud VENERABILE CORPVS commouere. Expectent pauliſper vltionem, qui nituntur aduerſari veritati. Placuit igitur mihi pro eximia affectione,

affectione, quam gero erga Terram, & Ca
ſtrum veſtrum hæc ſcribere, Vt tanti viri
mirabilium, ac meritorum participes effi-
ciamini. Bene valete. Die 3. Decemb. 1466
Veſter filius Michael Abb. Monaſterii Val
lis Caſtri.

Quibus literis redditis adeò commoti ſunt homines memorati ſubita quadã noua Venerabilium Reliquiarum religione, vt ſolẽnibus proceſsionibus ad Baſilicam caternatim ſæpius accedere aſſueti ſint. Id quod in cauſa fuit, vt ceteri quoq; circumuicinorũ locorum populi idem ſedula frequentia facere ſtuduerint. Quare viſa eſt Phani deuotio, quę per longiſsimi temporis ſpaciũ nõ nihil tepuiſſe videbatur, quaſi ſtatim poſt liminio reuocata. Necnon ad inſtar præteritorum temporum (quãdo magis celeberrima fuit) priſtinæ frequentiæ omnino reſtituta. Multi à longioribus partibus illuc accedebant, vt tàm vetuſtiſsimum cadauer ſic mirabiliter incorruptum conſpicerent. Deinde cũ luce clarius iam iã omnibus cõſtitiſſet ſacroſanctas Reliquias ibi reuera requieſcere, factum eſt Monachorum omnium aſſenſu, vt Monimentum ipſum iterum diligenti ſtudio clauſum obſignatũq; fuerit. Relicta ſuperius parua quæ dedita

ope

opera facta fuit feneſtella, per quam beatiſ ſimi Patris facies cuicunq; aduenienti cum opus eſſet oſtendi poſſet, quæ quidem feneſtella hucuſque ab omnibus cernitur.

Porrò populis in huiuſcemodi Venerabilium Reliquiarum religione perſeuerantibus, factum eſt, vt duo ipſius Monaſterij Monachi, pedemontani ambo, atque Monaſterij Claſſenſis (vt referũt) profeſsi (quorum alter Tadæus clericus, alter Rochus cõuerſus nomine dicti ſunt) maius, atq; execrabilius facinus perpetrare adducti ſint. Hi ergo ſiue vt aſportarẽt ſacroſanctas Reliquias ad eorum communem patriam, ſiue ad Monaſterium ipſum Claſſenſe vbi cõuerſionis primordia emiſerãt (de qua re varij varia Maiores ſenſiſſe profitentur) clam nocturno tempore ad Monumentum impudentiſsimè acceſſerunt. Quo Cuneis, ac ſtipibus per vim conſciſſo, vbi Vener. Corpus prophanis manibus attingunt, ilico caro, quæ ſupereſſe videbatur, in tenues cineres, & auras euanuit. Nihilominus illi ſacroſanctas Reliquias in fruſta, impiè diſrũpentes, extorquenteſq; in ſacco quodã adhibito feſtinantér recondiderunt. Quoniã verò cupido inceſſerat, quędam alia ſacra furtim præterea ſubripiẽdi, ſaccum ipſum

Vene-

Venerabiles Reliquias cõtinentem in quo
dam ſecreto Monaſterii loco clanculum lo
cauerunt. Mane facto accedentibus Mona
chis ad eccleſiam diuina Officia celebrandi
gratia (audi nouam Argolicam fraudem)
ab ipſis Furibus de Monumenti prophana
tione prius renuntiatum eſt (quo ſic obie-
ctionẽ criminis euitarent) quàm quiſquam
illud violatum fuiſſe præuiderit. Ea pro-
pter omnibus ſtatim per ima cucurrit oſſa
tremor; Singulisque ad Sepulchrum adcur
rentibus ſac. ſanc. Reliquias exinde ſublatas
ſuiſſe certo comperiunt. Itaque Reueren.
Pater Iulianus, qui tunc temporis Abba-
tem gerebat totus trepidus effectus, quo-
modo hoc factum ſit mente maximopere
agitabat, Variaque ſpe (vt fit) ductus vni-
uerſum Monaſterium vnà cum Monachis
diligenter perluſtrauit, tentans nunquid
aliqui nocturni ſures alicubi deliteſce-
rent. Quibus nuſquam repertis, ſiquis
hoſpitio noctu receptus ſuerit exquire-
bat. At nullum hoſpitem ibi fuiſſe com-
periens, Monaſterij ſingulas latebras per-
ſcrutari ſollicitat, circumquaque aſpiciens,
ſi quis per aliquam Monaſterij partem Do
mum intrare, vel egredi potuerit. Cum ve
rò omni diligentia adhibita nec fures, nec
ſacr.

ſacr.ſanct. Reliquiæ vſquam reperirentur, Monachos ad circumuicina loca, Pagos, & Villas deſtinauit, explorandi gratia ſi quod inditium, vel Furium veſtigium aliquò inueſtigare poſſent. Verum enimuero fruſtra omnibus tentatis, ſacroſancti Corporis Reliquiæ, quæ Domi latebant, alibi incaſſum diutius requiſitę ſunt. Quarum deſperata inuentione maximus tumultus inter omnes, ad quos peruenerat fama hęc concitatus eſt. Porrò Abbas maximopere ſollicitus hac vnica tandem ſpe ductus Fabrianum ſe contulit, Necnon Prioribus, & Antianis Oppidi, quę circa furtum commiſſum acciderant, accuratè retulit, petens oportunum remedium ſibi ab illis præſtari, pro eis requirendis recuperandiſque. Qui cum in ipſa incertitudine eorum operam in aliquo ſalubrius impendere poſſe neutiquam ſperarent. Indicto habitoq; Senatu ad publicā illius ſtatuti ſanctionem vnanimes deuenerunt, quod eſt ſub Rubrica XI. primi Libri Statutorum. De Corpore S. Romualdi requirendo, & deferendo ad Terram Fabriani. Qua profectò cautum fuit, vt Prętores, ac Rectores Fabrianenſes, cum primum Officij munere ſungi cœperint, teneren-

tur

tur infra duos Menſes vinculo iuramenti, ipſo Ven. Abbate potiſsimum requiſito p ſcrutari facere vbicūq; locorum inditium aliquod haberetur, ſacroſanctum Corpus translatum, vel abſconditum fuiſſet. Ipsūque effoſſum, ſiue alio modo iuetum ſumptibus ipſius Communis ad terram Fabriani deferri facere ſiue in Aede S. Blaſij, quæ tunc eidem Monaſterio Vallis Caſtri appli cata fuerat, ſiue in templo S. Romualdi, qđ erat eius membrum. Cum decreto, q ſi cō tingeret inueniri vbicunq; locorum, præconizari præterea facerent Cōſilium, quo legitimis ſuffragijs decerneretur quo honore ac reuerentia deuotè reduci, pieq; ſo ciari deberet. Iam verò cū nullum inditiū eorum, qui furtum admiſerant vllatenus haberi, conijciue poſſet: aut quo ſac. ſanc. Reliquię fuiſſent aſportatæ, remiſsis ingentibus pluuijs, quę è cœlo ab ipſo conſequuto furto erumpere cœperant, noxij monachi fugam capere cum earum aſportatione decreuerūt. Quapropter quibuſdam alijs ſacris clam furto præterea ablatis falſo quodam quęſito colore Aſinam à quodam Ruſtico Pagi proximioris Porcherellę mutuo conduxerunt. Cui Sarcinam furti clām ſuper imponētes, Maſſacij Oppidi viam, no-

ctturnumq;

ĉturnumq; hoſpitiũ celeriter arripuerũt. Sacriſta remotione ſacrorum quaſi ſtatim poſt eorum diſceſſum comperta, de ea Abbatem, cæterosq; Monachos poſt multa, q̃ animo volutauerat, tandem certiores facit. Proinde nouiſsimus tumultus in Cœnobio cõcitatur, nec quomodo, aut à quibus hoc factum ſit quiſquam iudicare poterat. Cęterum ex relatu aliquorum, qui ſuribus obuiam ſuerant percepto binos Monachos Aſinam ſacco pleno oneratam ducentes in itinere inuentos fuiſſe, (qui q̃uidem Maſſacium & Aeſim petere percunctantibus reſponderant) Vtrumq; furtum ab his cõmiſſum eſſe, & propterea fugam cũ rebus ablatis arripuiſſe plerique ſuſpicari cœperunt. Cumq; varij varia ſentirent, factum eſt vt ruſticus ille, qui eiſdem Aſinam commodauerat eos diſceſsiſſe perceperit. Qui cernens ſe deceptum, illos ſtatim inſequi velle contendebat pecudem recuperandi gratia. Attamen ſuperuenientis noctis cauſa conſilium pij Abbatis demum ſequendo vnà cum duobus Monachis ab illo deſtinatis mane ante auroram proficiſci acquieuit, vt eòs ſimul improuiſos opprimere niterentur: & ſiue Vene. Reliquias, & ſacra ablata ſecum deferrent ſiue non ad Mona-

ſterium redire compellerent. Fures cœno obliti vix ante veſperum Maſſacium ingreſſi Venerãdi Patris Romualdi præpoſiti Abbatis Baſilicę Sancti Laurentij eiuſdem Oppidi hoſpitio nocturno gratanter ſuſcepti ſunt. Sarcinamque ipſimet tollentes, ſaccum qui Venerabiles Reliquias continebat, ſubter ſcalam ligneam, qua iter eſt in Domum; (quę paulopòſt lapidea effecta eſt) impiè atque irreuerenter proiecerunt ne cuiquam cauſam darent cogitandi aliquod ſimile prętioſum in eo cõſiſtere. Quare comperta poſt modum rei veritate inueterauit fama Venerabiles Reliquias ibi tùm verè abſcõditas fuiſſe vſque in hodiernum diem. Tranſacta nocte fures ſub ipſa Aurora in ſalutato Prępoſito diſcedere, Aeſimq; ciuitatem proximam celerius petere feſtinauerunt. Quod vbi reſciuit præpoſitus maxima profectò admiratione, ſuſpicioneque affectus eſt. Aduenientibus ergo interim Monachis cũ Ruſtico à Cœnobio Vallis Caſtri profectis, vbi audiuit eorum aduẽtus cauſam, & furta nouiſſime in Monaſterio commiſſa, Tum maximo Zelo magis cõfectus ne Ven. Reliquię cum alijs ſacris ablatis perirent, vnà cum iſtis Aeſim properè ꝑrexit: Quo Epiſcopi implorato pręſidio omnia

omnia recuperare niteret̃. Interea fures vr-
bi appropinquauerãt, ſuburbiũq; S. Floria
ni ad Portã Arcis ingreſſi in quadã Caupo-
na Melchioris nuncupata, quę ſanè ſuperio
ribus annis Clemente VII. Pont. Max. agẽte
ꝓpter ciuiles ſeditiones vnà cũ vniuerſo ſu-
burbio à ſolo interijt. Ibi ergo Aſina in ſta-
bulo exonerata ſaccũ in quo ſac. ſac. Reliqæ
erant in Cubiculo ſibi aſsignato recondide
rũt. Et paulopoſt vbi refecti ſunt, clauſo di-
ligenter Cubiculo venditum q̃dam quę de
mũ abſtulerant Argentea Sacra Vrbẽ ĩgreſ
ſi ſunt. At ſtatim Dei ꝓuidentia amiſſo ocu
lorum viſu vagi, ac ceci per totã vagari cœ-
perunt Ciuitatem, neſcientes ꝓfectò vbi fo
rent, aut quid ad agendũ illuc acceſsiſſent.
Ad hęc in Caupona eodem tempore maius
prodigium quoq; apparuit. Etenim cum
Puer Cauponis filius (ſic enim Deus ſępe-
numero reuelat ſecreta ſua paruulis) ãte O-
ſtiũ Cubiculi forte pertranſiret, vbi relictę
fuerant ſac. ſan. Reliquię: Ecce vidit ꝑ rimas
oſtij cubiculũ ipſum validiſs. flãmis intus ar
dere, quę nimirũ flãmę non ſolũ totius Do
mus incendiũ, ſed vniuerſi ſuburbij exitiũ
minari videbant̃. Idcirco maximoꝑe ꝑterri
tus horribili voce emiſſa, ac ſępe ſępius repe
tita Ad ignẽ ad ignẽ, ad domũ ardẽtẽ cõcur

ritæ, Factùm eſt, ut Pater cum Miniſtris, & omnibus, qui Domi erant illò ubi puer ignẽ eſſe exclamabat quàm celerrimè acceſſerit. Cumque omnibus eodem modo Cubiculum ipſum intus cõflagrare primo aſpectu per eaſdem rimas videretur, obſeratas fores per vim aperire omnibus maximum ſtudium fuit. Quibus patefactis (verè iudicia Dei abiſſus multa) continuo ignis huiuſmodi penitus extinctus apparuit. Quinetiam ne fomes quidem incendij, àut inditium aliquòd ibidem fuiſſe videbatur. Quapropter maximopere omnes mente circumquaque agitati, admirationeq; incredibili ſuſpenſi, quod prodigium hoc fuerit cogitare nõ deſinebãt. Ad culeum ergo, quem intus poſitum cõſpiciunt demum accedũt, in quo Oſſium multitudinem eſſe cõperiunt. Vnde magis tremefacti, miraculum portẽtumq; à Deo emanaſſe cœperũt prędicare. Diuulgatumq; eſt in momẽto, quòd factum fuerat Prodigium ꝑ vniuerſum ſuburbium. Turba ergo circumquaq; confluere cœpit, & omnes tum quod prodigium emanaſſet intelligere, tum Ven. Reliquias in ſacco videre ſatagebãt. Porrò hæſitãtibus quid de venerabilibus Reliquijs eſſet faciẽdum, adueniẽtibus à Maſſaccio prępoſito cum Mona-

cis à

chis à Cœnobio Vallis Caſtri ꝓfectis res Epiſcopo vrbis nũtiatur. Qui miſsis miniſtris fures, qui per ciuitatẽ vagabãtur exquiri ac capi iubet. Qui tandem coram illo ꝑducti furtorum ſeriem ad vnguem confeſsi ſunt. Cõpertum ergo habens Pontifex ſac. ſanct. Reliqas ĩ Caupona eſſe, cõuocato vniuerſo Clero, eas inde ſolennis proceſsionis ritu ad Cathedralẽ Eccleſiã aſportari fecit, ibiq; collocari curauit, vbi Ara paulopoſt in honorẽ beatiſs. Patris erecta eſt, in qua brachiũ, qđ paulopoſt ibi ſeruatum fuit, vt inferius dicetur, pio religionis cultu ab Aeſinatibus veneratur. Fures vbi per aliquot dies in carcere detempti ſunt, tandẽ Põtificis miſericordia libertate ſunt donati. Qui paulopoſt dũ omnibus exoſi hac illac vagarentur vitã demum miſerrime abſoluerũt. Quinetiam fama eſt eos à diris feris immaniter dilaniatos fuiſſe. Dũ hæc in Aeſina vrbe agerentur reuerſi Monachi, qui miſsi fuerant, ad Cœnobiũ Vallis Caſtri, quæ facta fuerant Abbati ſeriatim retulerunt. Qui quidẽ vbi audiuit Veñ. Reliquias apud Aeſinates reperiri, nõ diſtulit, quin ſine mora illuc ad ipſas vindicandas anxius acceſſerit. Ergo cũ Epiſcopũ primo impiger adijſſet, ſupplex cœpit eum obnixa ſupplicatione exorare, vt ſibi eas o-

mnino recuperare liceret. Cæterum quoniam Aeſinates iam iam cõſpirauerãt eas in Vrbe retinere nec aliquo pacto reſtituere (quorũ cõſilijs ipſe quoq; Epiſcop⁹ adhere bat)ideo vana ſpe eũ ſæpius deluſum,ad Patritios ciuitatis demum remiſit,aſſerẽs poteſtatem eas cõcedẽdi in illos potiſsimũ cõſiſtere. Qui pꝛſus illas eidem Abbati cõcedere velle tãdem inficiati ſunt. Aſſerebãt nãq; Dei, beatiq; Romualdi nutu in vrbem illã fuiſſe trãſductas,vnde nũquã futuris tẽporibus huiuſmodi facilis furti aditu abſtrahi uel alio modo remoueri poſſent, quinimo ubi celebriori cultu penitus venerarentur. Igitur vidẽs Abbas ſe operã,& ſtudiũ,ac demum pces pijcere, nihilq; omnino pficere, hæc omnia Fabrianẽſibus renũtiare anxius pperauit. Qui vbi audierũt ſacroſãctas Beatiſsimi patris Romualdi Reliquias ab Aeſinis retineri, qui eas nullo modo reſtituere intẽderẽt,animaduertẽtes ſua potiſsimũ intereſſe hãc iniuriã vindicare,ppterea quòd ex eorũ Territorio ablatæ cũ eſſent,uel ſaltim neglectę Religiõis notã ſubire poſſent, ni ad eas recuperãdas ſe quãprimũ accingerẽt:cõuocato cõſilio credẽtiæ, Reformationis, ac populi x.Calẽd. Ian. MCCCCLXXX.res ad Senatũ refertur,& incõſultationẽ poſita ſingu-

ſingulis ſuper eam referẽdi ſentẽtiã ſuã datur facultas,in quã cum multa,tum ꝑ cóſultores,tum à R.p.Generali de Syluestrinis, qui ĩ collegio interfuit,circa ipſarum Ven. Reliquiarum recuperationẽ dicta, ꝓpoſitaq́; eſſent,omnes adeò Reliquiarum religione ſunt cómoti, ut eas ſine mora recuperari debere omni ſtudio, & opera viuæ vocis oraculo(ut aiunt)unanimes cõuenerĩt. Cæterum cum de modo ĩ huiuſmodi recuperatione tenendo varij varia, & plebs, populuſq́; ſentirent.Hoc demum concluſum eſt Senatorum ſuaſu, aſſenſuq́; omnium. Scilicet ut Magnifici Domini Priores cum quatuor uel pluribus de conſilio, uel extra eligendis uim,& poteſtatem omnimodã in ſe reciperent terminandi, executioniq́; demãdandi iuxta propoſita,& conſultata in ipſomet generali Collegio, quæcunq; magis oportuna ſibi viderentur ipſarum Ven.Reliquiarum conſequendi,potiendiq́; gratia, non obſtante quacunq; impenſa quæ fieri cótingeret,ab ipſa Repub.ſupplenda, cum plena, & omnimoda ipſius collegij auctoritate. Qui vigore huiuſcemodi deliberationis inſimul congregati cum animaduerterent magis expedire, ſi deſtinarentur, primùm amicabiliter legati ad Epiſcopum

atq; Patritios Aeſinates, qui quidẽ niterentur omni ſtudio, ac diligentia ipſas Ven. Reliquias recuperare: Legatos Aeſim mittunt nobiliſs. Oppidi. cuius legationis D. Petrus de Auguſtinis, & Venantius Vincentij prĩcipem locũ obtinuerunt. Qui cum Aeſim omni poſtpoſita mora prexiſſent: petierũt cum omni inſtantia, vt ſibi Ven. Reliquijs potiri liceret. Quod cũ ab Aeſinatibus fieri ſæpius omnino recuſatum eſſe, re infecta Fabrianum remearũt. Et ad 3. Cal. Ian. reuerſi denegationẽ ſibi ab Aeſinatibus factã fuiſſe de reſtituendis ſacris Reliquijs palàm in Senatu retulerũt. Rurſus igitur 4. no. Ian. Maceratam eodẽ modo ad R. Card. S. Georgij ad velum aureũ tranſmittuntur qui vtique elapſis tunc proximis diebus à Sixto IIII. Sũmo Pont. venerat Legatus vniuerſæ Prouinciæ Picæni. Cui cum Ven. Reliquiarũ ſubreptionem retuliſſent nec nõ aſportationẽ quæ Aeſim facta fuerat. Aeſinates verò ad earũ reſtitutionem nullatenus adduci poſſe, petierunt ſupplices cum omni debita reuerentia, vt vigore eius ſupremæ poteſtatis eas ſibi obtinere liceret. Qui cũ Fabrianenſium protectionẽ ab eo die iam ſuſcepiſſet, quo cũ in Prouincia deuenit, Fabrianenſes ſibi obuiam fuerant, in Oppidũ exceperãt,

ſatisq;

satisq; liberaliter multa impenſa eū tractauerant, compertū habens Aeſinates nullū ius habere, quo foti illas renuerent reſtituere, fecit ſtatim eiſdē oratoribus ſcribi, dariq; literas præceptiuas Epõ ceterisq; Antianis directas, quarū virtute ipſas Ven. Reliquias & alia quæcūq; ſacra ablata abſq; mora Fabrianenſibus reſtituere non differrent, ſub pænis, cenſuris, ác præiudicijs in eis contentis. Quibus literis ab Oratoribus receptis, priusq̃ Aeſim contenderent de gratuito ſic expto ipſius Illuſt. Legati animo Fabrianēſes per literas certiores faciunt, nūtiantes literas præceptiuas obtinuiſſe, quibus Aeſinates parituros eſſe indubitatū erat. Quare operæpretium eſſe illis ſuadebāt mitti illinc Aeſim Viros electos, qui ſac. ſan. Reliquias reducere, & aſſociare poſſent. Cū recepiſſent Fabrianenſes huiuſmodi Oratorū literas VII. Cal. Feb. 1481. Collegium conuocāt, literæq; ipſe palàm corā oībus legūtur. quibus maxima lætitia oēs exultantes publico Senatuſconſ. octo ciues potiſsmū deputāt, qui in Aeſiam ciuitatem cum maiori parte Clericorū multis alijs comitātibus ad reducendum Veñ. Reliquias Fabrianum cū omni decenti Reuerentia, & honore ꝓficiſcerētur. Qui omnes cū paulopoſt vnà cum ipſis

Oratoribus Aeſim ingreſsi eſſent, tāquā di-
uini, ne Aeſinates in receptione literarum
Reuerēdiſsimi Legati tali ira, & īuidia for-
taſſe corriperentur, ut ipſas Ven. Reliquias
dolo aliquo ꝑmutare eſſent attētaturi, Ec-
cleſiā pleriq; vbi Sac. San. Reliquię iacebāt,
cōtinuò īgreſsi ſunt, quò earum cuſtodiæ
uſq; ad recuperationē ſeduli aſsiſterēt. Cum
accepiſſent Epiſcopus, alijq́; Aeſinates Illu
ſtriſsimi cardinalis literas, quibus ad earum
reſtitutionē omnino religabātur, ira, īuidia
& odio repēte ꝑciti ad nephādam cōſpira-
tionē habēdā adducti ſunt, nimirū ut reten
to ꝑ fraudē Sacroſancto Cadauere, aliud fi
ſtitium eius loco dolo reſtituerēt. Quæ res
ut pertētata eſt minus ſucceſsit. Propterea
ꝙ tāta fui Fabrianēſium vigilātia, ut locum
ubi Ven. Reliquiæ ſeruabātur, haud prius
vnquā deſerere maluerīt, quā ipſis obtētis
ex vrbe diſceſſerint. Quod ita verum eſt, ut
cogitātibus Aeſinatibus Fabrianēſes locum
Reliquiarum oīno derelicturos eſſe, ſi Ali-
moniæ defectu ex Eccleſia diſcedere coge-
rentur, prohibitio clādeſtina ī vrbe facta ſit
ne quis Alimenta Fabrianenſibus venderet
uel alio modo ſubminiſtraret, ſub īdicta pæ
na. Cæterum reſpexit Deus, qui Danieli in
lacu leonum cibum de eſſe noluit, Fabria-
nenſium

